

filio, nec in colloquio, ubi dictus Dominus Episcopus, ejusque successores possint, vel valeant recipere, seu etiam sustinere damnum, vel jacturam in persona, vel in membris, vel in alio aliquo eventu, seu etiam in terra sua, hominibus, vel vassallis; immo si aliquo modo possent scire aliquid sinistrum quod haberet contingere ipsi Domino Episcopo, ejusque successoribus hominibus etiam, & vassallis, quod ipsi continuo facerent scire pro posse, ipsumque Dominum Episcopum avizarent per se, si possent, sin autem per nuncios suos de omni adventu contrario, quod eidem Domino Episcopo, vel ejus successoribus posset contingere in sinistrum. Insuper etiam praefatus Dominus Abbas procuratorio nomine praedictorum juravit in animas ipsorum forensorum, quod ipsi defendent, & juvabunt de cetero totis viribus, & pro posse ad recuperandum, & habendum civitatem, & castrum Aquense sibi, & Episcopis Aquensibus de jure debita, & ad recuperandum, & habendum omnia alia castra, jura, jurisdictiones, redditus, & bona sibi, & Aquensi Ecclesiae, & Aquensibus Episcopis de jure debita, & etiam idem Dominus Abbas in animas praedictorum constituentium, & procuratorio nomine ipsorum juravit de cetero attendere, & observare omnia, quae continentur in capitulis fidelitatis novae, & veteris, secundum quod plenius continetur in libris de usu feudorum (6), prout melius, plenius, & perfectius dici possunt. De qua fidelitate sic praestita ut supra tam dictus Dominus Episcopus, quam dictus Dominus Abbas procurator, & procuratorio nomine omnium praedictorum constituentium praecerunt mihi Ugheto Notario infra scripto fieri unum instrumentum, & plura reficiendum, & reficienda semel, & pluries ad consilium peritorum. Ego Ughe-
tus de Rolando ec.

(1) Laneris. (2) Fratres. (3) Aquinus Bordella, Facinellus Bordella. (4) Caudanus. (5) Die 20. februarii. (6) De ritu.

*Investitura de decimis Rochæ Ovraniæ
D. Matthæo Scarampo.*

295

MCCCXLV.

Anno Domini MCCCXLV., indictione XIII., die XXV. mensis novembris in castro Episcopali Bistagni praesentibus magistro Jacobo Baldefono, Luchello ejus filio de Begno, & Guillelmino Capero de Bergamasco habitatore Bistagni testibus vocatis, & rogatis, & in Christo Pater, & D. Guido Dei, & Apostolicæ sedis gratia Aquensis Episcopus, & comes studens pro viribus in bonis praedecessorum suorum vestigia imitari, & acquisitionem atque relictum per ipsos thesaurum incomparabilem, amicos videlicet, & fideles omni qua potest cura, & sollicitudine conservare, receptis primo testibus, & informationibus, quibus evidenter ostenditur de concessione in feudum quondam Domini Guillelmi de Cart. Domini loci Rochæ Ovrani (1), & Guillelmi Bianchi de dicto loco de decimis, & tertiis partibus decimarum loci Rochæ Ovrani, & hominum dicti loci, prout per dispositiones eorundem testium invenitur evidenter, attendens etiam

quod virtutum præmia merentibus tribui convenit ob remunerationem plurimum obsequiorum fidei, & amoris circa dictum Dominum Episcopum, & Aquensem Ecclesiam per Matheum Scarampum eidem D. Episcopo hactenus impensorum, eodem D. Matheo petente, & instante vassallitii obsequium, & fidelitatis offerente dicto Domino Episcopo, & Ecclesiae antedictæ de dictis decimis, & dictarum partibus decimarum, quas se asserit tenere debere in feudum, sicut antecessores suos condominos dicti loci evidenter apparuit tenuisse, dictus Dominus Episcopus volens in quantum melius de jure potest petitionem dicti D. Mathei gratiose, & liberaliter exaudire eandem concessionem in feudum, & ipsarum decimarum possessionem antecessoribus dicti D. Mathei, videlicet Domino Guillelmo, ac Marchionibus de Cart., & Guillelmo Blanco sibi pro parte qualibet contingente ante tempus Lateranensis concilii a suis prædecessoribus concessarum, & omnia, & singula circa hæc a dictis prædecessoribus gesta, & ordinata, utpote provide rite, & bene facta ipsi D. Matheo præsentis renovationis, & infeudationis, ac etiam concessionis autoritate plenissime confirmavit, infeudavit, ac etiam investivit, & in confirmationis, renovationis, & infeudationis signum ipsum D. Matheum de dicto feudo dictarum decimarum, quas dictus quondam Dominus Guillelmus ex Marchionibus de Cart. Dominus dicti loci a prædecessoribus dicti Episcopi, & Aquensis Ecclesiae, & de decimis, seu decimarum portionibus, quas etiam q. Guillelminus Blancus de Rocha tenere in feudum consuevit a prædecessoribus dicti Domini Episcopi, & Aquensi Ecclesiae antedictæ cum annulo, quem in suis manibus tenebat pro se tantum, & in vita sua dumtaxat gratiose, legitime, & liberaliter investivit eo adjecto videlicet, quod quarta pars dictarum decimarum Ecclesiae sancti Johannis ejusdem loci, & ejusdem Ecclesiae ministris, & rectoribus integraliter reservetur promittens per se tantum recipienti, & stipulanti præfatam concessionem, & renovationem, & omnia, & singula superscripta perpetuo firma, grata, & rata tenere, & habere, nec in aliquo contrahere, vel venire per se, vel per alium aliqua ratione, vel causa de jure, vel de facto sub pœna centum librarum denariorum honorum Ianuæ stipulatione præmissa, & refectione damnorum, & expensarum litis, & extra, & obligatione omnium bonorum suorum, qua pœna soluta, vel non, omnia, & singula rata, & firma perdurent. Idem vero D. Matheus statim ibidem de fide, ac fidelitate servanda dicto Domino Episcopo, & Ecclesiae antedictæ in omnibus, & per omnia, prout quondam dicti D. Guillelmus Marchio de Cart., & Guillelmus Blancus de Rocha servaverunt, & servare debuerunt temporibus retroactis & de prædicta servanda solemner promiserunt, & corporaliter præstitit juramentum. Et quod quancumque, & quotiescumque opus fuerit præstare subsidium, & auxilium, ac favorem dicto Domino Episcopo, & Ecclesiae antedictæ tam de persona sua, quam de hominibus Rochæ, & quod de omnibus, & per omnia erit fidelis vassallus prædicti Domini Episcopi, & Ecclesiae prælibatæ jura, &